

Tum subito tempestates coortae sunt.

A consequentibus signis argumentatur ad divinum quoddam testimonium et magis invidiosum reum facit, quod non humanis probationibus, sed indiciis numinum deprehensus sit.

5

Ita magni fluctus eiciebantur.

Enniano hemistichio usus est ex ea tragoedia, quae 'Achilles' inscribitur.

Signa Apollinis reperiuntur.

Expedita βραχυλογία usus est, ut gratissime multa 10 concluderet. Sed et ipsa velocitas magnam habet virtutem probandi, nam consequetur, ut violentiae tempestatis illa causa fuerit, quod Verres templum Apollinis spoliasset, cum redhibitis omnibus tranquillitas restituta sit.

§ 47. Apollinemne tu Delium.

15

Decore amplificationem prosecutus est, quasi plus sit Apollinem Delium violasse quam quemcumque alium, propterea quod apud hanc insulam maior illi quaedam non tantum numinis, verum etiam nativitatis religio debeatur.

Ἀφορμὴ praeterea elegans animadvertenda est, quemad- 20 modum veterem fabulam sic intulerit, ut Verrem admoneret puerilis eruditionis, ne levius fieret hoc *non erit Λατος* induceretur.

§ 48. Apollinem Dianamque peperisse.

Huic opinioni repugnare videtur Herodotus. Nam 25 cum res Aegyptias persequeretur, sic ait: Ἀπόλλωνα δὲ καὶ Ἄρτεμιν Διονύσου καὶ Ἴσιος λέγουσιν εἶναι παῖδας. Λητοῦν δὲ τροφὸν αὐτοῖς καὶ κώτειραν γενέσθαι.